



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Alypianæ breuitas excusata, virtus laudata à S. Gregorio Nazianzeno.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Maior in exiguo regnavit corpore virtus.

Experientiaq; ipsa ostendit, plerumque in parvo corpore magnos inesse animos. Virtus enim unita fortior est seipsa divisa. Cum igitur virtus animæ in corpore parvo unitatur, in magno dividatur & dispergatur, sic ut naturaliter parvis, quam magnis facilius fiat magnanimitas, difficilius humilitas. Itaque animus non mensuratur corpore, sed corpus transcendit. *Brevis, μικρά, (id est, parva) in volatilibus est avis, ait sapiens, Eccli. 11. 3^o & initium (ἀρχή) id est, principatum) dulcoris habet fructus illius.* Hinc & Apostoli *presentia corporis fuit infirma, ingenium tamen, animus, virtus, & facta, ingentia; ut non tam quia statura parvus erat, quam quia Paulos vicit, Paulus dictus videatur.* *Vti Scipio, inquit S. Hieronymus, subiecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit, & Metellus Creta subiugata, Cretici cognomen reportavit, & Imperatores nunc usq; Romani ex subiectis gentibus Adiabeni, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita & Paulus, ad predicationem Gentium missus, primo Ecclesie spolio Proconsule Sergio Paulo, victoria sua trophæa retulit erexitq; vexillum, ut Paulus diceretur à Saulo.* Quamquam hoc non obstat Paulum quasi parvum, pusillum, modicum etiam dici, siquidem, ut docet Sigonius, *Æmilianorum quoque familia, à parva statura nomen Pauli adhaesit. Sæpe igitur Paulo alicui, aut paululo hominis aliunde pondus accedit, cum & ex Paulo Apostolus magnus sit factus.*

Sigonius in nominib. Rom.

In contrarium autem, *Valentissimo quisq; corpore longissime abest à sapientia, ait Cicero, & Poëta de tali ait:*

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Quod non ideirco dixerim, quasi non rex Saul, alijq; insignes heroës plurimi fuerint proceri corpore; sed quia planè video passim, pusillos tanquam pusiones haberi, & deridiculo esse. Imitor itaque in hac masculorum apologia S. Gregorium Nazianzenum, ad Nicolaum, qui Alypiana uxori suæ, Gorgoniae Gregorij sororis filia exiguam staturam exprobrauerat, his verbis rescribentem: *Alypianam apud nos canillis incensus, ut parvum, & tua proceritate indignam, o magne & vaste gigante, tum forma, tum robore. Nunc demum intelligo, animum*

S. Gregorius Naz. cp. 155.

Xxxxx 2 mensura

mensura subijci, ac rupes margaritis prastantiores esse, coruosq; lascinijs angustiores. Tu verò magnitudine tua & cubitis frueri. Deinde subdit. Quòd si hoc quoq; adycias, eam orationis causa curuam esse, ac per ingentes mentis agitationes, perpetuã cum Deo consuetudinem habere, quid hic de tua sublimitate, corporisq; mensura iactabis? Vide tempestiuum silentium: loquentem audi, quã in comta sit animaduerte, quã ut femina fortis ac strenua, quas vi domestica utilitatès afferat, quã viri amans, ac tum illud Laconis dices: Certe animus in mensuram minimè cadit, atq; externum hominem oculos coniectos in internum habere oportet. Ita eam ut paruam deridere desines, & tuum coniugium faustum ac felix indicabis. Hæc D. Gregorius Nazianzenus scripsit ad Nicobulum. Quæ ubi in alijs quoque paruis hominibus habent locum, nihil vitæque conqueri possunt, cùm corpore quidem alijs cedant, anima autem eisdem excedant, ac proinde meliore sui parte sint meliores.

V.

Genes. 29. 16.

Alijs in statura, alijs in forma aliquid deest, sed sunt & hinc suæ compensationes. Exempli instar haberi possunt duæ sorores, filia Laban. Hic habebat duas filias, nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu. Vtramque duxit Iacob. Videns autem Dominus, quòd despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, vocauitq; nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meã, nunc amabit me vir meus. Rursumq; concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, vocauitq; nomen eius Simeon. &c: Vides compensationem? Rachel pulchra erat, sed infæcunda? Lia lippiebat, sed & pariebat; ita quòd vni deerat de forma, accessit illi à prolis gloria; & quæ gloriabatur forma, sterilitate humiliabatur. Vult enim nihil, in hac vita, omni ex parte beatum esse Deus, ut ad aliam beatitudinem aspiremus; neque etiam omni ex parte miserum, ne deijciamur, videntes tristibus iucunda misceri. Æsopi quoque deformitas ab ingenio & sapientia fuit excusata. Nolisset formosus & stupidus esse. Præstat testam Cretico vino, quàm crystallinum calicem